

stus Unionis Effectus est, quòd liberam testandi facultatem Parentum unientium in tantum coarctet, ut [licet de bonis in Unionem non deductis, & quoad proprios naturalesque Liberos testari possint] de bonis tamen Unione affectis præsertim iis, quæ prioris Matrimonii Liberis ante Unionis Pactum acquisita fuerunt, in horum præjudicium testari nequeant; *Stryck. dict. cap. 6. §. 29. contra Franzk. 2. resol. ult.*; cujus certò Sententia æqualitati per Unionem intentæ multum præjudicare posse videtur.

6tus Unionis effectus est, quòd legitimè semel celebrata ab alterutrius Matrimonii Liberis revocari nequeat. *Muscul. d. memb. 3. n. 28. §. 135.*

Obscura tamen adhibitis ordinariis hujus pacti solennitatibus declarari potest. *Rick. cap. 10. n. 14. §. seq.*

Unde sequitur, uniones non ritè factas solenniter, & de novo in meliorem statum reduci posse.

## CLASSIS VI.

### *De Modis Unionem dissolventibus.*

**U**Nio legitimè celebrata rursus dissolvitur.

1mò Morte Unientium vel Unitorum & subsequatâ bonorum divisione, *Klock. tom. 3. conf. 160. n. 51.*

2dò Revocatione, mutuo omnium, qui Unioni intervenerunt, consensu factâ *Muller. ad Struv. exercit. 47. thes. 80.*

3tiò Tali Liberorum ingratitude, quæ exhæredationem mereatur, Vinculo Unionis quoad ingratum præviâ Magistratûs cognitione sublato. *Stryck. d. cap. 6. §. 28. Rick. cap. ult. n. 27.*

Non tamen cessat Unio ex eo, quòd ex posteriori Matrimonio

Liberi



Liberi nulli nati fuerint. *Muscul. d. memb. 3. n. 124. Besold. thes. pract. voc. Ein-Kindschafft.*

Est enim hoc pactum actus legitimus conditionem non recipiens. *L. 77. de Reg. Juris.*

Idem est, si Liberi quidem nati fuerint, sed iterum decesserint. *Forster. cons. Marpurg. vol. 1. cons. 8. dissentit Bocer. disp. 12. n. 17.*

Illud minus dubitatum est, quòd comprivignis Matrimonio utrimque illatis [ licet nulli communes nascantur Liberi ] unio efficax maneat. *Bocer. d. disp. 12. n. 18.*

Sicut autem nullis natis ex ultimo thoro liberis unio non rescinditur, ita neque si plures nati fuerint, adeò, ut Liberi prioris Matrimonii enormiter læsi appareant, nec dimidium ejus, quod Unione non factâ fuissent habituri, consequentes; neque ex hoc casu restitutio in integrum, neque beneficium *L. 2. C. de Rescind. Vendit.* locum sibi vindicat. *Klock. tom. 3. cons. 160. n. 43. & 44. Rick. cap. ult. n. 4. & seq. Muscul. n. 141. & 158.* non enim eventus damni, sed inconsulta facilitas restitutionem indulget. *L. 44. ff. de minor. L. 47. ff. de solut. & læsio* consideranda ex tempore pacti, vel contractûs, non ex futuro eventu, ut ait, *Mascard. de probat. conclus. 964. n. 6. & seq.*

Aliud tamèn foret, si in ipso Unionis actu fraus, vel læsio gravis intervenisset. *Rick. l. cit. n. 9. & 23. Bocer. d. disp. 12. n. 23.*

Sicut autem Unio testamento induci non potest *Rick. cap. 6. n. 57. Stryck. loco cit. §. 3.* ita nec legitimè facta in eo revocari poterit, utpotè in terminis ultimæ voluntatis non consistens, sed in pactum ultrò citròque obligatorium idque irrevocabile transiens *Muscul. loc. cit. n. 135.* & hæc de Unionem Prol. dicta sufficiant.

F I N I S.



Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

**TIFFEN** Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

